Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Oratio De Ortv, Vitae Cvrricvlo Et Beata ex his terris migratione Reverendi viri Pietate, Ervditione, Sapientia & rerum vsu praestantis Christophori Binderi Abbatis Adelbergensis

Hermann, Christoph

Tvbingae, 1597

XVIII.

urn:nbn:de:bsz:31-131212

Visual Library

XVII.

QVis dolor inuasit nouus anxia pectora? quæue
Cura coquit pressos ante dolore viros?
Fallor an infesto tolluntur Marte cohortes?
An rapit nocuos pestis anhela viros?
Fallor & infelix versat mea pectora curas
Necque datur causæ vel tetigisse scopum?
Fallor, an ex vita super æthera scandit in altum,
VVirtembergiacæ fida columna domus?
Hem rem tangis acu, cecidit venerabilis Abbas
Binder, Tecciacæ fida columna domus.
Ergò patres patriæ miseris ululate querelis,
Et tantum luctu condecorate virum.
Vos etiam matres lachrymarum fundite guttas,
Et vestro teneras rore rigate genas.
Hoc etenim sincerus amor, pietasq́; reposcunt,
Hoc natura iubet, non vetat ipse DEVS.

M. Ernestus Kieserus, SS.
Theolog. stud.

XVIII.

SIccíne mors cæcis quoque te, Pater, occulit umbris?
Et libitina tuum mœsta cadauer habet?
Pro patria cui tanta imis vigilantia fibris
Sedit, & accepto pro grege, proque schola:
Cuius in unius sibi casta cubilia mente,
Nobile virtutum legerat omne genus,
O si equidem nostris cessissent Numina votis,
Staret adhuc plenâ næ tibi vita colo:
Quin etiam poterat grandæuo, Aurora, marito
Aetatis laudem præripuisse tuo.

Sed quoniam vitæ res est ita visa Magistro,
Ad tumulum lachrymas hîc tibi libo pias:
Iustaque cum patria, tristi funebria luctu
Soluo, tui quondam pars quotacunque gregis.
Incipe luteolis sensim florescere calthis,
Et pingi niueis, horride cippe, rosis:
Donec Saluator menti sua corpora reddi
Imperet, extremo glorificanda die.

M. Casparus Hauserus,
S.S. Theol. stud.

XIX.

O Diego, teste DEO, debellauiq; profanos
Pontifices; testis Richovilla, & Teccia tellus,
Atq; urbes aliæ, quas non memorare necessum est:
Teccigenæ Andreæ vario discrimine vitæ,
Me socium addideram, non inferiora secutus.
Odi Caluinos, odi deliria Cingli
Dum mihi vita fuit: pastores dicite testes
Et meministis enim, contestariq; potestis:
Nunc eadem exhalanti animam sententia menti:
Vos mihi præsentes quicunque appello fateri,
Ante obitus coram vos hæc & singula fassum.
Interea dilecta vale mea patria tellus,
Relligione sacra semper mansura Lutheri:
Chara vale coniunx, generiq; valete, meiq;
Natorum nati: mihi nil in honore relictum est,
Omnia soluistis, vestros testantia luctus,
Parcite iam lacrimis: mihi iam fortuna peracta est.

M. Ioan. Wendelinus Bauhofius
Canstadiensis, SS. Theol. stud.

Dignum